DISPVTATIO POLITICA GEMINA:

PRIOR

DE STATU IMPERII ROMANI.

ALTERA

DE ORIGINE ELECTORUM.

Quam

D. O. M. A.

PRÆSIDE

DOCTISSIMO ET HUMANISSIMO VIRO, DN. M. REINHARDO König/ IN INCLYTA ACADEMIA GIESSENA.

In collegio privato politico defendendam ſuſcipiet

JOHANNES SCHAMROTH SWINFURTENSIS Francus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GIESSAE HASSORUM.

Ex Officina Typographica CASPARIS CHEMLINI.

ANNO M. DCVIII.

REVERENDO, CLARISSIMO
& Doctiſſimo Viro

Dn. M. Johanni Schrödero, Eccleſiæ Swinfurtensis Paſtori & Antiſtiti fideliſſimo, Patrono ac fautori ſuo æternùm colendo.

Nec Non

PRUDENTISSIMIS AC SPECTAtiſſimis viris:

Dn. Eliæ Schamrothio, Imper. Reip. Swinfurtensis civi ac Senatori fideliſſimo, parenti ſuo obedientiâ æternùm colendo.

Dn. Udalrico Schamrothio, urbis Tetelbacensis civi ac Senatori digniſſimo, patruo ſuo plurimùm honorando.

Itemq;

CONSULTISSIMO ET PRÆSTANtiſſimo viro

Dn. Joanni Schinlero, J. U. Candidato & practico ſolertiſſimo, cognato ſuo plurimùm obſervando.

Haſce theſes Politicas in ſtudiorum προπαίδευμα, in gratitudinis & obſervantiæ τεκμήριον inſcribit ac offert.

Reſpondens.

DISPVTATIO POLITICA.

DE STATU IMPERII ROMANI, OPPOSITA SCRIPTIS JOANNIS BODINI.

DE ſtatu Imperii noſtri Romano-Germani conflictus eſt Juriſconſultorum & Politicorum perdifficilis, quem alii Monarchicum, alii Ariſtocraticum eſſe contendunt.

Monarchicum qui dicunt, moventur potiſſimum infallibili Danielis prophetiâ, totius orbis gubernaculum à diluvio ad finem usque mundi in quatuor Monarchias ſeu Imperia principalia dividente, *c. 2.* per ſtatuam, *& c. 7.* per quatuor animalia de terrâ ſurgentia, *& 8.* per arietem & hircum. Et quidem ipſo Prophetâ interprete, aureum ſtatuæ caput, & beſtia prima, Regnum Babylonicum denotat. Pectus, brachiaque argentea, cum beſtia alterâ, & ariete bicorni Regnum Perſarum & Medorum: Adhæc venter, femora ænea, animal tertium, ſicut & hircus unicornis Imperium Græcorum. Denique tibiæ ferreæ, & animal quartum Romanorum Monarchiam: At pedes mixti & fictiles diviſionem ejuſdem depingebant.

Præterea, ſunt alia fortiſſima Monarchici Imperii argumenta partim ex Sleidano, partim ex jure Majeſtatis & Regalium petita. Quæ verò illa inquis? inveſtitura Principalis, extrema appellatio, quòd Imperator Germanus magnificâ oratione ſacræ Majeſtatis à Principibus ſalutatur, quòd ſceptra, regale ſolium, corona pallium regale, pomum quod orbis figuram repræſentat, ipſi dantur. *Sleidan. lib. 2. com. fol. (mihi) 50.*

Deinde, quòd omnes Germaniæ Principes ſint vaſalli & fiduciarii Imperatoris Germanici, quòd ab Imperatore inveſtituram accipiant, Imperatori fidelitatem promittant, [illegible] obſequia præſtent, quòd de Regalibus Imperii [illegible] ſolus Imperator cognoſcat.

Quid de Majeſtatis & Regalium, quæ à ſolo Imperatore pendent, dignitatibus? Solus Imperator poteſt creare Reges (quod Rex non poteſt. Cùm enim Reges inter ſeſe quoad Regiam dignitatem pares ſint, Regem qui creare debeat, Rege majorem eſſe omninò oportet) Duces, Principes, Marchiones, Landgravios, Comites, Barones, Nobiles. Solus poteſt Academias conceſſis privilegiis conſtituere. Solo Imperatorio nomine & auctoritate in Academiis creantur Doctores, Licentiati & Magiſtri. *Ampliſſimus & Clariſſimus I.C. Dn. Gothofredus Antonij, Præceptor omni obſervantiæ ſtudio colendus, diſp feud. 3. theſ. 6. Regn. Sixtin. in tr. de Regal. cap. 2. Arum. de feud. 4. theſ. 18.* His quid pro Monarchica Majeſtate & dignitate dici poterat clarius?

Verùm cum non oporteat ſuam modò ſententiam dicere, ſed & aliorum refutare, ad ſolutionem argumentorum Bodinianorum accingamur.

Primum argumentum, quo *lib. 1. de Rep. c. 8. n. 87.* Majeſtatem Imperatoriam è ſummo dignitatis gradu deturbare conatur, petitur ex formula juramenti, quod Imperator, priuſquam initiatur, præſtare, ſolet, quod leges omnes Imperii minimè violare, Auream bullam non ſolùm confirmare, ſed & cum res ita feret, de ipſorum conſilio amplificare: jura, privilegia, dignitatem Principum & ordinum Imperii minimè convellere aut imminuere: nec Electorum conventum impedire velit. *Sleid. lib. 1. com f. 229.* Nos hac ſyllogiſmi meta rem concludemus:

Quicunq; tenetur legibus Imperii, ille non habet Maje-

ſtatem,

ſtatem, ac proinde non eſt Monarcha. Nam Majeſtas eſt ſoluta legibus. Imperator Germanus tenetur legibus Imperii, ut jam probatum. Ergo. Reſpondeo, de proſyllogiſmo ſeu probatione propoſitionis majoris nobis erit videndum. Dicam igitur breviter quid res ſit. Majeſtas eſt ſoluta legibus, ſcilicet civilibus, iisque omnibus, *l. princeps. 30. ff. de legib.* Princeps enim ſummus omnibus civiliter ex ſumma poteſtate imperat: omnibus imperando præſcribit: Ipſe verò à nullo leges accipit. At ſumma poteſtas non eſt ſoluta legibus divinis & naturalibus, ut uno ore docent & ſcribunt Dd. *Dn. Gothofred. Antonij diſp. 1. ſeud. th. 1. ad lit. b. cum alleg. Bod. lib. 1. de Repub. cap. 8. n. 84.* Nec eſt ſoluta legibus ſtatus ſeu regni. Ubi enim ullum Imperium, ullum regnum, (tyrannicum dominatum excipio) quod nullis Imperii & regni legibus ac juramenti religione gubernatorem ſuum ſibi adſtrinxerit, & ſibi devinctum eſſe voluerit? Habent ſiquidem omnia regna, omnia Imperia certas leges & præſcripta, quibus omnis forma ac modus gubernationis conſtringitur deducitur.

Quid enim aliud ſunt illæ leges, quàm Imperiorum vincula, gubernationum retinacula, termini ac limites, quibus gubernatores intra muneris atque officii ſui rationem continentur, ut nihil tam neceſſarium ad tyrannidem ab Imperio amoliendam, quàm certarum legum & conſtitutionum orbitam eſſe intelligamus. Sed quoniam perſequi teſtimonia ſingulorum regnorum nimis laborioſum, ac planè infinitum eſſet, pauca quædam illuſtriora ex ſcriptoribus regnorum, quaſi exemplo loco ſubſcribemus.

Initium autem faciemus à regno Gallico, cujus legibus Reges Galliæ teneri, diſertis verbis teſtatur clariſſ. Galliæ Juriſconſultus *Franciſcus Hotomannus in Francogallia ſua, c. 25.* Ubi docet, Regibus Francogalliæ non immerſam atque in-

 finitam

finitam poteſtatem à ſuis civibus permiſſam: *ut legibus omnibus ſoluti* dici poſſint: ſed eos *certis legibus & pactionibus* (quarum nonnullas infra videbimus) *obligatos eſſe*. Et *c. 7.* poſtquam docuiſſet, Regum abdicandorum ſummam poteſtatem penes ordinum comitia fuiſſe, ejusque poteſtatis documenta protuliſſet ex Annalibus Francorum, ſubjicit: Atque hoc quidem præclarum ac ſingulare majorum noſtrorum facinus eo diligentius notandum eſt, quod in primordiis ac propè incunabulis regni geſtum, quaſi quædam teſtificatio fuiſſe videtur, ac denuntiatio, Reges in Francogallia *certis legibus creari:* non tyrannos, cum Imperio ſoluto, libero, & infinito conſtitui. Hancque conſtituendæ Reipub. formam *cap. 12.* conſentaneum eſſe ſcribit, Francos à popularibus ſuis Germanis ſumſiſſe: de quibus Tacitus in lib. de moribus Germanorum ita ſcribit: Regibus non eſt infinita aut libera poteſtas. Quid? quod ipſe *Bod. lib. 1. de Rep. c. 8. n. 88.* recenſeat duas juriſiurandi formulas, quarum priori Philippus I. Rex Francorum, Henrici filius Regno ſeſe obligavit: poſteriorem verò ex antiquiſſimis bibliothecæ Gergobiorum archivis excerptam, omnibus Regibus ad intuendum & ad imitandum proponit. Quin & *Stephanus Iunius Brutus in vindiciis contra tyrannos, in repetit. ad quæſt. 6.* refert juramentum Regum Francogallicorum ex Aymonio, ubi videre licet.

Deveniamus ad Reges Hiſpanorum. Hos ſub ingreſſu ſui regni jurejurando ſe obſtringere, teſtis eſt *idem Brutus d. l.* ubi formulam recitat, quam Hiſpani in Regum ſuorum inauguratione uſurpant.

Quid de Regibus Anglorum dicam? Dicam ex ipſius *Bodini lib. 1. de Rep. cap. 8. n. 90.* quo in loco hæc verba habet: Reges Anglorum non aliter initiantur, quàm ſi jurejurando promiſerint, ſe leges patriæ minimè violaturos.

De

De Regibus Scotorum audiamus *Georg. Buchanan. in dialogo de jure regni apud Scotos.* Sic verò ille: Reges noſtri, inquit, cum publicè inaugurantur, populo univerſo ſanctè promittunt, ſe leges & majorum ritus veteraque inſtituta ſervaturos: eoq; jure, quod à majoribus acceperunt, uſuros.

De Regibus Ungarorum teſtatur *Ant. Bonfinius decad. 4. lib. 9. rerum Ungaricarum*, quod & ipſi regnum ſuum ineuntes, in leges Ungariæ jurent: ibidemque recitat formulam juramenti regij Uladiſlao II. Regi Boemorum, Ungarorum Regi renunciato à Joanne Varadienſe Epiſcopo propoſitam, anno Chriſti 1490.

Reges Polonorum & Epirotarum patria decreta & jura ſeſe obſervaturos jurejurando Regno ſpondere cōſueviſſe, autor eſt politicus Andegavenſis *d. lin. 88.* & ſimul proponit formulam, in quam Henricus Andium Dux, Polonorum Rex renuntiatus juravit.

Si itaque Imperatorem Germanum Majeſtate Imperatoria ob id fraudare velis, quòd certis juramento firmatis conditionibus teneatur, neminem omnium regum Monarcham appellabis, niſi illos, qui liberrima tyrannide in ſuos utantur: quique voluntatem pro lege, libidinem pro jure ducunt, juxta poëtæ illud: Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.

Ex modò igitur prolatis teſtimoniis liquet, quid judicandum ſit de illis, quæ *Bod.* ſcribit *d. l. n. 94.* Pleriq;, & quidem iiqui plus in eo genere ſapere ſibi videntur, ſtatuunt, Principem in leges Patrias jurare oportere. Quæ quidem diſciplinæ jura Maieſtatis, quæ ſacroſancta eſſe debent, omninò labefactant & convellunt, cum paucorum populiue imperio conturbant: Quaſi verò, dum Regibus Galliæ ſalva maneant jura Maieſtatis & legum civilium poteſtas, aliis Regibus interveniente juramento eripiantur.

Inſtat

Inſtat ille n. 93. quod Monarcha, cum ſit ſummus princeps & omnium ſupremus, poſt Deum æternum nullius iureiurando teneatur. Reſpondeo. Quando Imperator vel Rex in Imperii leges iurat, iurat ipſi Imperio, quod, atteſtantibus magni nominis politicis, ut antiquius Imperatore vel Rege: ità & perpetuò maius & ſuperius eſſe eodem. Quippe Regni Maieſtas eſt realis & perpetua: Regnantis perſonalis, quæ cum perſona extinguitur. Imperium Maieſtatem à nemine hominum habet: Rex & Imperator ab Imperio.

Argumentum ſecundum, quo adverſarius gubernationem Monarchicam oppugnat, *lib. 2. de Rep. c. 6. n. 223.* ibidem petitur *ex Sleid. l. 1. com.* Quod Imperator absque conſenſu Electorum ius non habeat leges dandi, nec de rebus Imperii fœdus aut pactum cum exteris faciendi: nec bellum aut pacem decernendi, vectigalia ac tributa imperandi, facultates Imperii diſtrahendi, nec oppignorandi, &c. Reſpondeo. Hæc omnia & ſingula, ſi gubernationem Monarchicam tollant, ne quidem Regnum Galliæ, nec Hiſpaniæ, nec Angliæ, nec Scotiæ, nec Ungariæ erit Monarchicum (in ſuo genere) ut ad oculum ex Regnorum illorum ſtatutis & legibus fundamentalibus demonſtrabo.

Lex prima fundamentalis Regni Gallici, referente *Hotomanno cap. 25. in Francogallia ſua,* hæc eſt: Ut ne quid quod ad ſtatum Reip. in univerſum pertineat, Regi ſine publici conſilii auctoritate ſtatuere liceat. Cuius rei, inquit, expreſſiſſimum & evidentiſſimum uſque ad hanc ætatem noſtram veſtigium illud manet, quod ſenatus Pariſienſis, qui veteris illius Parlamenti auctoritatem ſibi magna ex parte aſcivit, nullas Regis conſtitutiones, nulla edicta rata eſſe patitur, niſi quæ apud ſe pro conſilio cognita, & conſiliariorum ſuorum ſententiis comprobata fuerint. Cum Hotomanno

conve-

venit *Iohan. Sleidan. in illuſtrat. Rer. & Gal. deſcript. præfixa commentario Philippi Cominæi de bello Neapolitano f. 718.* dum in hæc verba ſcribit: ſunt omninò ſeptem ejuſmodi ſenatus (ipſi Parlamenta vocant) à quibus provocare non licet, & ad quos ab omnibus aliis judiciis appellatur: ij ſunt Pariſienſis, Tholoſanus, Rothomagenſis, Divionenſis, Burdegalicus, Aquenſis in provincia, & Grationopolitanus in Delphinatu. His omnibus ſtipendia Rex præbet. De cauſis omnibus & criminibus iſti cognoſcunt, & quod à ſingulis definitum fuerit, ei ſtandum eſt. Omnium autem latiſſimè poteſt, ac ampliſſimam juriſdictionem habet Pariſienſis. In eum aliquando venire ſolent ipſi Reges, quoties aliquid magni decernere volunt. Quemadmodum Franciſcus I. bellum illaturus Caroli Cæſari, venit eò, & per advocatum ſuum expoſitis, quas ab illo ſibi factas dicebat, iniuriis, demonſtrabat, bellum ſibi neceſſariò ſuſcipiendum eſſe, ut Flandriam & Arteſiam quæ nunc illius vitio & culpa ad ſe pertineant, recuperaret, & Galliæ rurſus, è qua prodiiſſent aliquando, coniungeret. Olim iſta referebantur ad publicos conventus ordinum. Ii quoniam aboliti ſunt, aliquod adhuc eius rei veſtigium manet, dum ad eum ſenatum itur. *Hæc Sleid.*. Huc etiam refero illud, quod habet *Bod. l. 6. de Rep. c. 6. n. 595.* de pacis ratione ineunda Franciſco cum Carolo. Franciſcus maior, inquit, in curiam Pariſiorum venit, ſenatum habuit, & uniuſcuiusque ſententiam exquiſivit, pacis conditiones cum Carolo Imperatore ratas haberet necne, anno 1526. 14. Febr. Et quid illud eſt, quod ſcribit *lib. 1. de Rep. c. 8. n. 95.* Ludovicus XI. in lege, quam de ordine equeſtri tulit, ſanxit ne regi bellum indicere, aut quid aliud, quod ad Reipublicæ ſummam pertineat, ſine equeſtris collegii decreto, ſuſcipere liceret. Quo fit, opinor, ut noſtris moribus edicta regia non ante vim habere videantur,

 quàm

quàm in curia maiore cuiusq; provinciæ patentibus portis promulgata, idque rogatione procuratore fiſci: deinde curiarum conſenſione fuerint comprobata.

Cæterùm continuatam publici concilii auctoritatem *Hotomannus* demonſtrat *in Francogallia ſua cap. 18. 21. 23.* ubi vide.

Lex quinta ad Regis dominium pertinens, talis eſt. Ne Regi ius ſit, ullam dominii ſui partem ſine publici concilii auctoritate alienare: quippe, quod ei ad tuendam tantùm Regiam dignitatem fruendum datum eſt, ut parem in eo, poteſtatem habeat, atque marito in uxoris dote conceditur. Itaque anno M. CCCXCIX. cùm Rex Carolus VI. comiti Sampaulino particulam quandam ſui dominii ſive donaſſet, ſive alia ex cauſa ceſſiſſet, ſenatus Pariſienſis pro vetere veteris Parlamenti iure interceſſit: ac pronuntiavit, alienationem regii dominii nullius eſſe momenti, niſi cuius autor ſenatus ille Pariſienſis fuiſſet, quod decretum *Paponius* inter Areſta ſua retulit. *lib. 5. tit. 10.* ubi alia complura eiuſdem Senatuſconſulta commemorat: quibus omnibus definitum hoc ius eſt, alienationem dominii à Rege, ſine cauſa in illo ſenatu cognita & probata, factam, ipſo iure nullam eſſe. Audis, Regna & ditiones à principibus ſine conſenſu ſubditorum donationis titulo, vel alio quovis modo alienari non poſſe? Princeps enim tanquam tutor ſubditis providere debet: quod non facit, dum bona eorum alienat & perdit. *l. tutor 27. ff. de adm. tut. l. interdum 65. §. pen. ff. de furt.* Vid. *Everh. Bronchorſt. cent. 9. ἐναντιοφ. aſſert. 87. Hotom. Illuſt. quæſt. 1.* Nec obſtat, quod vulgo omnia principis eſſe dicuntur. Reſpondeo enim cum *Seneca lib. 7. c. 4. & 5. de benefic.* omnia eſſe principis imperio, non dominio: poteſtate, non proprietate: Universè, non ſingulatim: ſola iuris fictione, non poſſeſſione & uſu. Itaque vendi donari, legari à privatis res

tis res ſuas videmus principi, aut Imper. aut Regi: quæ ſi antea ipſius propriæ fuiſſent, iterum ipſius fieri non poſſent. *Hotom. in Francogallia. c. 8.* Quò pertinet illa regula iuris: Res quæ mea eſt, mea amplius effici non poteſt, *l. non ut ex pluribus. ff. de reg. jur.*

Quæ & quanta ſit conventuum in Hiſpania auctoritas in ſuos Reges, docet *Iunius Brutus* duobus decretis: uno è quarto, altero è ſexto concilio Toletano. *Vid. lib. de vindicl. contra tyran. in repetit. ad quæſt. 6. fol. (mihi) 148. & ſeq.* De ratione tributi exigendi apud Hiſpanos teſtatur *Bod. l. 6. c. 2. n. 656.* quod non imperetur niſi ordinum conſenſu.

In Anglia eandem eſſe regni adminiſtrandi formam, teſtis eſt *Polydorus Vergilius lib. 11. hiſtoriarum Anglicarum.* ubi ſic ſcribit: Ante hæc tempora (Regis autem Henrici XI. vitam exponit) Reges non conſueverant populi conventum conſultandi cauſâ, niſi perrarò, facere: adeò ut ab Henrico id inſtitutum, manaſſe iure dici poſſit, quod tam altis defixum, ut etiam nunc, radicibus ſemper ſtetit, ut deinceps quicquid ad Rempublicam benè gerendam, eiusq; conſervationem deliberandum foret, illud ad Concilium referretur: & ſi quid aut Regis aut populi iuſſu decretum factumque eſſet, id totum pro nihilo haberetur, niſi eiuſmodi Concilii auctoritate foret comprobatum. Ac ne imperitæ vulgi multitudinis, cuius proprium eſt nihil ſapere, iudicio concilium impediretur, certa lege exceptum fuit à principio, qui ex ſacerdotum cœtu, quiúe, quotúe ex reliquo populo vocari deberent ad Concilium. More Gallico, vulgò Parlamentum appellant. quod unuſquiſque Rex initio ſui regni, habere ſolet: ut ibi ſi quid ex antiquis inſtitutis, legibusq; tollendum, ac rurſus condendum ſit, id de concilii ſententia fiat: qui & deinde quoties res poſtulat, ſuo arbitratu, illud ipſum convocat. In eandem ſententiam, ut notat *Hotoman.*

in Francogallia c. 12. Vetus quidam ſcriptor Angliæ Cancellarius in libello cui titulus eſt Alcarned. commendation. c. 36. Neque Rex, inquit, per ſe aut miniſtros ſuos tallagia, ſubſidia, aut quævis alia onera imponit legiis ſuis: aut leges eorum mutat, vel novas condit, ſine conceſſione vel aſſenſu totius regni ſui, in Parlamento ſuo expreſſo. Sic & *Philippus Cominæus lib. 4. comment. de rebus geſtis Ludovici XI. Regis Galliæ.* Rex Angliæ, inquit, tributa exigendi nullam habet ſine ordinum & ſtatuum conſenſu poteſtatem.

Scotiæ Regibus inconſultis ordinibus, nihil quod totius regni ſtatum attinet, agere licere, refert *Georg. Buchanan. l. 8. rerum Scoticarum in vita Ioannis Ballioli.* Idque *lib. 9. declarat exemplo Roberti II. Regis Scot.* his verbis: Cum anno M.CCD.XXCIIX. ex induciis in ſpem pacis, inter Francos & Anglos, per Pontificem & vicinos Principes ventum eſſet, ea lege, ut utrorumque amici aſſciberentur, Anglorum videlicet Luſitani, Francorum Scoti, & Hiſpani Caſtellanenſes: Robertus Rex, omnibus ſuis repugnantibus, unus fruſtrà aſſentiebat: Neque enim ipſe pacem, vel inducias facere poterat niſi ex ſententia publici conventus, neque firmas polliceri, ſine publico decreto.

Quinetiam in Ungariæ Regibus idem videre licet apud *Ant. Bonfinium decad. 4. lib. 9. rerum Ungaricarum in vita Uladislai II. Regis Ungar.* Ubi inter cæteras leges Ungariæ Uladiſlao hæ proponuntur: Ne quando Moraviam, Sileſiam, & Luſatiam, quas Matthias Rex olim in provincias redegerat, ab huiuſce regni ditione alienari patiatur: ſed ſub Ungarica ditione retineat. Quod ſi fortaſſe ipſa (Regia Majeſtas) ſine liberis humanis excederet, quod Dii prohibeant, ante diem extremum, ità perſpiciat, ne quo illæ prætextu abalienentur. Quinetiam det operam, uti ſex, quæ ſuperfuerant

rat turbes, veluti pacta iubent, in conventu Olmucienſi edita, publicis literis pari jure, Ungarorum Imperio ſeſe obligent, & obſtringant. diplomataq; præſtandi [illegible] quàm primùm ea re facta, in regni ærario recondantur. Et paulo poſt. Pecunia omnis unà cum ſacra corona in Reipub. uſum & utilitatem pariter aſſervetur, nulloque modo ſine Patrum procerumq; conſenſu à rege tractari & erogari queat, ſed ad extrema pericula & regni defenſionem recondatur. Præterea, ne Auſtria, cum pleriſq; Styriæ, Carinthiæ, Carniolæq; civitatibus à Matthia in provinciam redacta, publicoq; conſenſu parta, ab Ungariæ regno, inconſultis Patribus & optimatibus abdicetur: imò pertinacius pro noſtra Repub. retineatur & propugnetur: nullaque cum Cæſarea Majeſtate, citra Senatuſconſultum & auctoritatem, concordia ineatur, fœduſque percutiatur: quinetiam ſi qua ultro citroq; concordia iniretur & aliqua hinc oppida, poſſeſſiones, pecuniave Regi cederet, id omne Ungariæ ditioni adſcribatur. *Hactenus Bonfinius.*

Habes igitur ſtatuta Gallica, Hiſpanica, Anglica, Scotica & Ungarica, quibus cautum, ut quod ſtatum ipſius Regni attinet, nihil ſine conſiliis, deliberationibus & cōſenſu procerum ac ordinum ratum atque firmum habeatur, ſed ut Rex & populus communicato conſilio communiter ſtatuant, quod ad omnium ſalutem communiter faciat. Sicut eleganter *Hotoman. in Francogallia cap. 12* ait, quod inſtituti Regni Frencogallici ſapientia & utilitas tribus maximè rebus cernatur. Primùm quòd in magno prudentum numero magnitudo conſilii ac propterea ſalus verſatur, ut *Salomoni Proverb. 11. & 15.* & aliis Sapientibus placuit. Deinde quia libertatis pars eſt, quorum periculo res geritur, ut illa eorum conſilio atque auctoritate (in unico enim comitiorum ha-

bendorum jure libertatem poſitam eſſe eod. cap. affirmat) adminiſtretur: & quemadmodum Imperator Juſtinianus dixit, quod omnes tangit, ab omnibus approbetur. Poſtremò ut qui apud Regem in magna potentia ſunt, & magnis Imperiis præſunt, ejus concilii metu, in quo civitatum poſtulata liberè audiuntur, in officio cõtineantur. Nam quod Regna quædam unius Regis arbitrio ac nutu gubernantur, quale hodie Turcicum eſſe conſtat, rectiſſimè *Ariſtoteles lib. 3. polit.* animadvertit, non hominum liberorum, & lumine mentis ac rationis utentium, ſed pecudum potius & brutorum conſilii expertium eam gubernationem eſſe. Sic enim ſe res habet: ut pecudes, non ab uno è ſuo genere: ut pueri aut adoleſcentes, non ab uno è ſuis æqualibus, ſed à præſtantiore aliquo reguntur: Sic hominum multitudo non ab uno è ſuo numero, qui minus fortaſſe, quàm alii complures, videret: ſed à mente ex multis conflata, hoc eſt, conjunctis probatorum virorum conſiliis, regenda & gubernanda eſt. *Hæc Hotom.* Nec poſſum quin huc propter ſingularẽ elegantiam aſſcribam verba *Georgii Buchan. in dial. de jure Regni apud Scotos* ſinguli, inquit, habent quaſdam virtutum particulas, quæ ſimul collatæ unam excellentem virtutem conficiunt. In Medicorum pharmacis id oppidò conſpicuum, ac præſertim in antidoto illo, Mithridaticum quod vocant: plures res in eo per ſe noxiæ ubi confuſæ fuerint, ſalutare adverſus venena remedium pariunt: ſic & hominibus aliis tarditas & cunctatio, aliis præceps temeritas obeſt, hæ in pluribus commixtæ temperamentum quoddam utile, & gratam mediocritatẽ pariunt. Rectè igitur *Ariſtoteles lib. 5 pol. t. c. 11.* Quanto pauciorum rerum penes Regem poteſtas eſt, tantò diutius Regnum maneat neceſſe. Et antiqui Philoſophi teſte *Hotom. d. l. c. 12.* tres tyrannidis notas conſtituêre, quarum tertia numeratur, ſi nõ ad civitatis & ſubjectorum, ſed ad ipſius domi-

dominantis commodum atque arbitrium omnia referantur. Siquidem ut ait ille: Nulla eſt tam immanis belua, quam homo, ſi ſibi relinquatur. vel ut *Eraſmus Roterod. in adag.* Nulla eſt nocentior belua tyranno. Ut nõ immeritò *Hotom. d. lib. c. 25.* politiam Franciæ, ſeu inſtituta & mores regni, appellet frenum, quo Reges Franciæ coërceantur.

Quid? quod Imperatores veteres Romanorum circa illa quæ ſtatum publicum cõcernunt, ſponte in ſalutem communis patriæ à jure ſuo, quod habuêre, receſſerunt: Quid enim illud eſt, quod de Auguſto ſcribit *Dio Caſſius lib. 53. Hiſt. Roman. fol. (mihi) 510:* Enimvero non omnia Auguſtus proprio conſilio egit, ſed multa publicè deliberanda propoſuit, ut ſi quid aliis diſpliceret, id corrigere poſſet: omnes verò adhortatus eſt, ut ſuum ſibi conſilium aperirent, ſi quid rectius invenirent, libertatem omnem eis concedens: eorumque motus ſententiis, quædam retractavit: Præſertim verò à conſulibus, aut ſi ipſe conſulatum gereret, à collega ſua (ſi tamen collega, & non potiùs miniſter nominandus eſt, juxta *Zonaram tom. 2 annal. in Auguſtò)* hoc contendit. Ex reliquis etiam magiſtratibus ſingulos, ex Senatoribus ſorte quindecim delegit, qui per ſex menſes conſiliarii ſui eſſent: ita ut videretur per hos etiam reliquis omnibus ea, quæ ſtatueret, communicare. De nonnullis quidem ad univerſum ſtatum referebat, at præſtare tamen putabat, ut cum paucis per otium de pleriſque & maximis rebus conſilium caperet. Hos etiam judiciis aliquando adhibuit, quam nihilominus ſenatui quoque ſua eſſent, ut prius judicia: ac legatis & oratoribus populorum regumq; reſponſa dedit *Addit.* Hæc fuit Auguſto generalis Imperii adminiſtrandi ratio. De quo tamen *fol. ſeq. 515.* ita ſcribit: Senatus eum omni legum neceſſitate (per legem Regiam) liberavit, ut revera ſui juris & abſolutæ poteſtatis, tam reſpectû ſui ipſius, quàm legum, omnia quæ-

quæcunque vellet, faceret, quæcunque nollet, non faceret, Vides igitur, quod Auguſtus Cæſar regiam planè poteſtatem non uſurpaverit, ſed ſua ſenatui populoq; munia permiſerit obire: id tamen ſciens prudens permiſit obire, cum ſummo admirandæ prudentiæ modeſtiæq; temperamento: nimirum, ne uno ictu veterem Rom. Reip. gubernationem evertendo, populum tyrannide opprimere videretur: ſed ut paulatim populo ſuâ libertate deſueſcente, eò firmiùs & tutiùs ſibi atque ſucceſſoribus imperium ſtabiliret. Vid. *Didac. Covarruvius pract. quæſt. c. 1. n. 2. Dn. Vult. in Inſt. de jur. nat. gent. & civil ad §. ſed & quod.* Pariter *Theodoſius Auguſtus.* leges à ſe latas non aliter vim habere voluit, quàm ſi probarentur Senatuſconſulto, cui ſenatores omnes acquieviſſent. *l. humanũ. C. de legib.* Sic & Alexander Severus nullam promulgavit legem, quã Senatus prius non approbaſſet. *Lampridius in Alex.*

Quid igitur mirum, ſi & hodie Imperatores Romani in legibus ferendis, in bellis indicendis, pace finienda, aliiſque ſalutem imperii concernentibus non omnia pro ſuo lubitu, ſed ad exemplum Regum Perſarum à conſilio & conſenſu ſeptem ſuorum Magorum pendentium, adhibito conſenſu atque conſilio Septemvirorum agant? Quorum deliberatio & conſenſus planè nullam facit gubernationem Ariſtocraticam, ut Bodino viſum fuit. Quæ enim de belli paciſq; rationibus, tributis & vectigalibus conſultata ſunt, Imperator ſolus Imperii omnibus membris promulgat & mandat. Quod longè aliter in Ariſtocratica ſtatus alicuius gubernatione ſeſe habet.

Verùm ſupradictis ſtatutis regnorum fortiter obſtare videntur duo illa capita Majeſtatis, quorum primum & præcipuum eſt: Leges univerſis ac ſingulis dare poſſe *ſine neceſſario alterius conſenſu. l. 3. C. de legib l. ult eod Bod. lib 1 de Rep. c. ult. nu. 153.* Alterum, bellum indicere, aut pacem inire. *l. 1. c. ut armorum*

morum uſus. Bod. d. l. n. 155. Reſpondeo. Hic omninò diſtinguendum eſt inter ipſum jus & factum. De jure, per ſe, ex natura Majeſtatis in ſe conſiderata ſummo principi illa, ut & reliqua omnia jura Majeſtatis, competunt. Sed de facto, ex pacto & conventione, tanquam de accidenti, a jure illo ſuo ſalutem patriæ concernente, recedit. Illuſtro hanc reſponſionem exemplo huic non diſſimili. Princeps omnibus legibus, ut ſupra dictum, eſt ſolutus: At contrahens cum ſubdito, ſive cum alio, ex pacto obligatur, & contractu illo tenetur, quia eodem in illo utitur jure, quo privatus. *l. in facto, 60. in fin. ff de condit. & demonſt. l. 2. ff. de aliment. leg. l. fiſcus. 6. ff. de jure fiſci Dn. Vult. Iuriſp. Roman l. 1. c. 12.* Et in commutatrice juſtitia rerum duntaxat, non perſonarum habetur ratio, *Weſenb. in parat. ff. de juſt. & jur. n. 11. Treutl. part. 1. diſp. 6. theſ. 7. cum alleg.* Quo ſpectat illud *Oldendorp. in l. princeps 31. ff de legib.* Quod Princeps ſit ſolutus legibus à juſtitia diſtributiva deſcendentibus, non ſit ſolutus legibus deſcendentibus a juſtitia commutativa. Hic itaque rectè dicimus, Principem, qui per ſe & in theſi legibus ſolutus eſt, ex conſequenti in hypotheſi ob factum aliquod antecedens legibus ſolutum non eſſe. *D. Vult. in Inſt. de I. N. G. &c. ad §. Sed & quod.*

Deinde, exemplo Auguſti, quem abſolutæ poteſtatis fuiſſe ex Dione diximus, opponis fortaſſe illud, quod ſupra dixi, omne Regnum & Imperium gubernatorem ſuum certis Imperii legibus ſibi adſtrictum eſſe velle. Reſpondeo verò quod Imperatores olim Romani liberam poteſtatem habuerunt, id nihil facere ad eandem omnium Regum poteſtatem demonſtrandam, cum ex uno aut altero particulari non rectè de univerſis concludatur.

Tertium argumentum Gallus deſumit à juriſdictione Cameræ Imperialis: *l. 2. c. 6. n. 224.* A camera, inquit, manant

imperia, juſſa, executoriæ tabulæ ad principes, ad magiſtratus, ad ſenatum urbis aut provinciæ cujuſque. Hæc verò conſtat Judicibus quatuor ac viginti: quorum prætor eſt unus ex Principibus cum annua poteſtate: delectus autem habetur ex ordine decem provinciarum: ſi qua Principibus aut civitatibus inter ipſas controverſia oboriatur, ſive de finibus, ſive de capite, fama ac fortunis agatur, Imperialis curiæ judices quæſtionem exercent, niſi optimatum Imperii univerſitas, ad eos quos dixi conventus cauſæ cognitionem revocarit: ut quidem decretum eſt in comitiis, quæ Auguſtæ coacta ſunt, anno MDLV. Reſpondeo. Camera eſt judicium & cōſiſtorium ipſius Imperatoris. *Mynſ. 1. obſ. 42. n. 3.* cum Cæſare concurrentem habet juriſdictionem. *Gail. 1. obſ. 121. n. 3. & 1. obſ. 29. n. 3.* repræſentat Cæſarem, eoq; nec ſuperiorem habet. *d. l. & 1. obſ. 1. n. 7. & 1. obſ. 41. n. 8. Mynſ. 4. obſ. 5.* Unde citationes, ſententiæ, mandata & pœnæ omnes, fiunt, promulgantur, ſcribuntur & ſanciuntur nomine atq; auctoritate Imperatoris, ſub cujus etiam ſigillo ex Camera prodeunt. *ord. p. 3. tit. 12. §.* Vnd ſo ſolche. *& p. 1. tit. 27.* ut notat *Dn. Gothof. Anton. in diſp. de juriſd. Cam. Imp. th. 30. Mynſ. 1. obſ. 14. n. 1.*

Quartum argumentum eſt, quod Imperator poſſit conveniri coram comite Palatino: Ideoque neceſſe ſit Imperatorem non eſſe Monarcham. *d. l. n. 224.* Reſpondet *Otho Melander in idea ſive exegeſi ſtud. polit. fol. (mihi) 68.* Imperator convenitur coram comite Palatino non ut coram ſuperiore ſive magiſtratu, ſed ut coram inferiore, qui tantùm judicium in cauſa propoſita exerceat.

Deinde fălſitatem illius hypotheſeos: Coram quo quis convenitur, eum ſemper ſuperiorem eſſe oportere illo, qui convenitur, demonſtrat hoc modo: Princeps aliquis ex ordinatione Cameræ Imperialis convenitur coram novem ſuis ad eam rem deputatis Conſiliariis. Iſti tamen Conſiliarii non

rii non ſunt ſuperiores Principe. Et Princeps coram alio principe pari conveniri poteſt, quem Princeps actor ex quatuor à reo Principe propoſitis iudicem elegit, ut expreſsè ſancitur *in ordinat. Came. Impe. p. 2. tit. 2.* Aſſcribo hîc verba ipſius *Bodini,* quæ habet *lib. 3. de Rep. c. 6. n. 315.* Fit interdum, ut Rex ipſe depoſita quodammodo Majeſtate, de ſua cauſa magiſtratus judicare jubeat: quia jure ipſo receptum eſt, *(l. eſt receptum, de juriſd. l. ſi quis in conſcribendo. c. de pactis.)* ut par majorũe poteſtas judicium accipiat, ſi ſe alterius imperio ac juriſdictioni ſummiſit: quod non modò in privatis, ac magiſtratibus, ſed etiam in ipſis Principibus locum habet: ſive aliorum Principum, ſive ſuorum judicia ſubire malint. *Hæc Bodin.* & quidem veriſſimè. Sic enim & Reges Galliæ, ut ſupra ex *Hotom. & Sleid.* probavimus, judicium Parlamenti Pariſienſis ſubeunt. Ubi par pari Bodino referimus. Sic, referente *Stephano Iunio Bruto in vindic. contra tyran. in repetit. ad queſt. 6. fol. (mihi) 186.* Reges Hiſpaniæ in conventibus triennalibus, quos vocant, apud ſuos ordines ſe ſiſtere ſolent, tum ut ſuis jus dicant, tum ut ab aliis jus ſuum recipiant. Præterea, ut ſcribit *Meland. d. l.* Electores Saxoniæ coram ſuprema ſua Electorali Lipſenſi curia, de bonis & reditibus ſui ærarii, ſive Cameræ, ut loquuntur, ſeſe conveniri patiuntur, ut ſanxerunt in der Ordnung deß Churfürſtlichen Sächſiſchen Ober Hoffgerichts zu Leipzig. *Rub.* Wer vor das Ober Hoffgericht. Et tamen curia illa Saxonica Electoribus ſuis non eſt ſuperior. Adhæc, Archiduces Auſtriæ cum ſint immunes à juriſdictione Imperiali, in controverſia ſeu cauſa aliquem è ſuis vaſallis judicem conſtituunt, coram quo conveniantur, & jus accipiant. *Cuſpinianus in Auſtria fol. 37. edit. Francof. anni 61. Munſterus lib. 3. Coſmogr.* Nemo autem vaſallum ſuperiorem dicet ſuo Domino.

Quintò loco adducit 1. comitiorum indictionem, quod

hæc non ſit libera, ſed fiat demum ab Imperatore accedente conſenſu Electorum. *n. 221.* II. Eorundem conſultationes, quod à principibus & ordinibus Imperii leges ac decreta omnia, quæ receſſus appellantur, ſanciri, confirmari, & infirmari ſoleant. *n. 222.* Reſpondeo ad 1. ſupra dixi, quod in Imperio vel Regno nihil quod ad ſtatum Reipub. in univerſum pertinet, Imperatori vel Regi ſine ordinum conſenſu & auctoritate agere liceat. Cum igitur comitia Imperialia concernant cauſas totius ſtatus, meritò & ſecundum legis publicæ præſcriptum accedit conſenſus Electorum. Quo accedente, tum Electores, tum Principes, tum reliqui ordines juſſu & mandato ipſius Imperatoris conveniunt. Quod ſecundo loco dicebatur à Principibus & ordinibus leges Imperii, quas receſſus vocant, ſanciri & confirmari: Illud ipſum ignorantiam conſtitutionis eorundem manifeſtò prodit. Nam ordines quidem de propoſitis ab Imperatore capitibus conſultant, ſed conſiliis agitata ac deliberata Imperator confirmat, ſancit, promulgat & edicit, ut cuivis patet receſſus Imperii inſpicienti.

Sextum argumentum eſt, quod Imperator Germanus ſit tributarius Imperatoris Turcici. *lib. 1. de Rep. cap. 6. n. 582.* Reſpondeo. Si Imperator Romanus, Rex Mauritaniæ, aut alii, qui Turcarum Imperatori aliisve, ne regionum ſuarum fines excurſionibus infeſtent & devaſtent, annuam ſolvunt pecuniam: hoc ipſo exciderent ſummâ, quam in ſibi ſubjectos habent, poteſtate. Si inquam ex illo tributo (malim dicere penſione. Tributum enim à ſubditis, aut ab iis qui potentiorum vi coacti, ut libertate ac pace fruerentur, pecuniam victoribus ſe daturos ſpoponderunt. Penſio verò libera eſt ſeu à cliente, ſeu ab iis diſſolvatur, qui æquo fœdere ſocietatem & amicitiam cum iis inierunt, qui ſeſe cum hoſtibus conjunxerit: ſeu ab iis auxiliares copias urgente populo

acci-

accipiant. *Bod. lib. 2. c. 6. n. 182. Et lib. 6. c. 2. n. 681.* Penſio pacis fruendæ cauſa quotannis civitati Principiúe imperatur) Majeſtas ipſa aliquid caperet detrimenti: nec ipſe Turcarum Rex de ſummâ in ſuos poteſtate gloriari poſſet quam tamen ipſi adſcribunt politici: Cogitur enim & hic ex veteri pacto tributum ducentorum millium nummum Æthiopum Regi ſive pretioſo Joanni pendere. Quod cum Selymus II. biennio non ſolviſſet, bellum Selymum inter & Davidem Æthiopem exarſit, anno 1572. David enim propter tributum denegatum dilatumúe Cairum univerſumque agrum ſub Imperio Turcico vicinum, emiſſis Nili aquis ſubmerſit. Eſt enim in hujus Regis arbitrio, placidè & moderatè aquas Nili in hos agros immittere, ſolumq; fœcundare, cum nec nives habeat, nec imbres: aut perforatis quibuſdam anguſtiis, urbes & agros, homines atque jumenta fluctibus involvere & ſuffocare. Purpuratus Memphyticus ferro potius, quàm auro, ſe inundationem hanc poſſe coërcere putans, multos Arabes, Mauros, multosque Cairi incolas accolasq; coëgit, finesque Æthiopum ingreſſus, omnia vaſtat, & populabundus ad Sabam & Meroen percurrit, anguſtias illas occupare & abſtruere conatus. Sed à Davide præventus eſt, omnes Mauri & Arabes cæſi, capti & in fugam verſi ſunt. Id cum malè purpurato ſucceſſiſſet, ſimulat ſe inſcio amici Regis agros ſpoliatos eſſe. Sed Æthiops non ignarus, cujus auſpiciis hæc geſta erant, literas purpurato mittit, & ut tributum ſolvat, ſine ulla contradictione aut prorogatione imperat: id niſi faciat, ſe finitimos Turcarum agros hoſtiliter ingreſſurum, omniaq; ferro & flammâ vaſtaturum. Quod & confeſtim feciſſet, niſi cum Perſa de Arabiæ finibus bellum metuiſſet, quod paulo pòſt prudenti conſilio eſt Sopitum. Hoc ita refert *Michael Eyzinger prim. part. Paralipomen. theſaur.* Quinetiam Turcarum Princeps illis populis, qui montes

Arabiæ tenent, ſexaginta millia aureorum tribuit, ut agro Palæſtino ac Damaſceno liberè fruatur, ut ſcribit *Bod. in method. hiſt. c. 5.* Amplius. Reges Idumæorum & Ammonitarum Davidi annua ſtipendia ſolvere cogebantur. *Sam. lib. 1. c. 5.* ut Reges Judææ Regibus Aſſyriorum abſque ulla Regiæ dignitatis diminutione. Denique probè notandum, quod ipſe *Bodinus* ſcribat *l. 6. c 2 n. 684.* victo Philippo II. Regi Macedonum, ac Regibus Illyriorum ſtipendium in ſingulos annos eſſe imperatum, *Salva cujusq; Imperij Maieſtate.*

Hactenus fuêre argumēta deſumpta ex qualitatis imperii ſtatu, hoc eſt, ex modo & forma gubernationis: Jam proponemus illa, quæ loquuntur de ſtatu quantitatis, hoc eſt, de magnitudine, amplitudine & potentia eius. (Hac enim duplici conſideratione in ſcholis Politicorum ſtatus regni cuiuſlibet diſtinguitur & perpenditur. Sic verò ſe illa habent *in method. Hiſt. c. 7 fol. 417. 1.* quòd hodiè Imperio Romano alia Regna ſint longè majora & potentiora, ut Turcicum & Hiſpanicum. *c. 7. fol. 417.* Reſpondeo. Utrumque ſanè Regnum eſt omnium provinciarum & regnorum latiſſimum, verum ſylveſtre & ſterile: Utrumque per ſolitudines & eremos exercetur: Noſtra verò Germania eſt culta hominibus, civitatibus, oppidis & pagis, ut meritò palæſtinam vocare poſſis. Hiſpania, ut ex *Plinio lib. 2. c. 1. & 3.* refert *Bod. l. 1. de Rep. cap. 6. n. 63.* urbes habet quadringentas ſupra octo & ſexaginta. Sed Germaniæ noſtræ quæ urbium frequentia? quadringentas vel quingentas ſi dixero, nihil dixero: ut pote quæ decem circulos, ut hodierna ætas vocare ſolet, inſtar decem juſtorum Regnorum complectatur. Et veriſſimè *Philippus Nicolai* de Hiſpanorum potentia *lib. 1. de Regno Chriſti.* Populus ille, ait, latè regnans, belloque ſuperbus, qui Antipodes deſpicit, Indosque & auroræ Patriam, ſolo nominis auditu terret, unicam Germaniarum portionem,

Bel-

Belgiam, in qua multis nunc annis, Marte ancipiti dimicatur, edomare neſcit. An verò putas Majeſtate & dignitate Imperium noſtrum Germanicum cedere Hiſpanico? Nihil minus. Illius enim ſublimitatem & eminentiam ipſe Turca agnoſcit, quando Romani Imperatoris ad ſeſe miſſos legatos omnium aliorum Regum legatis, exhibitione honoris, loco & ſeſſione anteponit. Cùm enim illuſtris & generoſus Cæſaris Chriſtianorum ad portam oſmanicam, Davides Ungnadius, Conſtantinopoli diſceſſurus, Sultano Muſulmanorum valedicturus eſſet, atq; legatum Perſicum primum ſibi debitum occupaſſe locum vidiſſet: inſalutato Sultano diſcedere voluit. Sed Machemetes Baſſa Vezirazemes ea re animadversâ, Perſam licet Mahumetanum, inferiore loco ſedere juſſit. *Ioan. Leunclav in Supplem. Annal. Othmanid.* Idem contigit anno Chriſti 1582. quando Mahometes III. Secundùm Mahumeticæ legis præſcriptum circumcidebatur. Die menſis Maij XXVIII. ait *Leunclavius dict. loc* cepit inaudita ſeculo noſtro celebritas circumciſionis huius: præſentibus Conſtantinopoli maximorum propè totius orbis Principum legatis: Rudolphi II. Chriſtianorum Imp. Auguſti, Henrici III. Gall. Regis (cuius tamen orator Germinius Germollæus ſecundo poſt cæſaris legatos loco ſpectare juſſus, cum primum adfectaret: partim per invidiam, partim quòd obtinere non poſſet. ut legati Poloniæ Regis excluderentur, quem pro rege non agnoſcebat, domi ſuæ ſe continuit) Stephani Regis Poloniæ, Reipub. Venetæ, Scachi Perſici, Regum Aphricanorum Maroci & Feſſæ, ac Tartarorum: Principum Erdelii, Moldavii, valachiæ, & aliorum. Ubi obiter notandum, labi *Bodinum lib. 1. de Rep. c. 9. n. 146.* cum ſcribit: Turcam Francorum Reges cæteris omnibus ante ferre: quos etiam Principum omnium chriſtianorum maximos: Se verò omnium Impp. ter maximum,

&qui-

& quidem Muſulmanorum omnium Principem appellet. Sed fieri non poteſt, quin Bodinus Regibus ſuis nimium tribuendo: aliorum verò, Romanorum præſertim Imperatorum laudibus nimium detrahendo, ſæpiſſimè turpiter erret, quod oſtendere poſſem multis argumentis.

Deinde objicit nobis *Bod.* Caroli quinti tempora *d. l. fol. 418.* Non video, inquit, quomodo Germania Hiſpanorum ac Italorum legionibus duce Carolo V. reſiſtere potuit: qui niſi Gallorum virtute revocatus eſſet, imperium illud in provinciæ formam redegerat. Reſpondeo. Etſi hîc jure dicere poſſem, Carolum non contra totum Imperium, ſed adverſus aliquos tantùm Imperii principes pugnaſſe, tamen par pari ratione referens, Reſpondeo, nec me videre, qua ratione Galli Caroli craſſi tempore Normannis reſiſtere potuiſſent, qui populi Gallicum Imperium penitus deleviſſent, ni virtute Germanorum revocati fuiſſent. Quos etiam Gallos cùm per ſe ſatis virium ad depellendam Romanorum tyrannidem non haberent, ex veteri inſtituto, mercede conductos ad ſuum auxilium evocaſſe, teſtis eſt *Hotoman. in Francogallia c. 3.*

Concludimus igitur Imperium noſtrum Germanicum à Romanis terrarum Dominis cognominaris, à Carolo M. ad Germanos tranſlatum, eſſe verè & καθ' ἐξοχὴν Monarchicum, hoc eſt, eſſe Regnum ſupremum, eſſe caput omnium aliorum Regnorum, quæcunque latiſſima Chriſtiani orbis orbita continentur, eſſe verè quartum & ultimum illud, quod in ſcriptura ſacra ferreum pronunciatur. Etiamſi enim ſit afflictum, & prioribus Monarchiis infirmius (quid mirum? cum Daniel multa ſecula antè id per pedes mixtos & fictiles vaticinatus fuerit) nihilominus Majeſtatis & dignitatis ſuæ apice omnibus aliis Regnis eſſe illuſtrius, celſius ac ſublimius conſtanter aſſerimus.

QVÆ-

DE ORIGINE ELECTORUM.

LUBET & hanç quæſtionem de origine Electorum hoc loco brevibus ad examen revocare propter varias tùm Hiſtoricorum tùm Juriſconſultorum circa ipſam diſſenſiones. Communis eſt ſententia multorum, jura ſuffragiorum ad Electores ob Ottone III. eſſe delata: Alii ad Rodolphum Habſpurgenſem eadem referunt: Alii verò tempore Friderici II. Senatum illum ſeptemvirorum conſtitutum fuiſſe ſcribunt. Quorum ſententia atque inquiſitio & nobis ex Hiſtoriarum argumentis non obſcuris probanda videtur. Cum enim neque *Witichindus*, neque *Luitprandus*, neque *Lamberdus*, neque *Rhegino*, neque *Marianus*, neque *Otho Friſingenſis*, neque *Abbas Vrſpergenſis*, neque *Sigebertus*, aliique veteres ſcriptores, qui tamen ante Friderici II. obitum vixerunt, ullum verbum hac de re ſcripſerunt, profectò veriſimile eſt, ſenatum Electoralem tùm nondum fuiſſe inſtitutum. Nam ſi nobis ob oculos ponamus omnes Imperatores ab Ottone III. uſque ad Fridericum II. *Henricum cognomento ſanctum & claudum. Conradum II. Salicum. Henricum III. IV. V. Lotharium Saxonem. Conradum III. Suevum, Fridericum I. Barbaroſſam, Henricum VI. Philippum Othonem IV & Fridericum II.* deprehendimus, hoſce omnes tùm ab univerſis totius Imperii Principibus, Eccleſiaſticis & Politicis, tùm etiam à quibuſdam populis, ut Suevis, Saxonibus, Bavaris, Bohemis, Colonienſibus, & Argentinenſibus, aliiſque nonnullis eſſe electos. Huius rei teſtes adduci poſſunt *Otho Friſing. l. 6. c. 27. & 28. c. 12. Abbas Vrſperg. in chron. an. 1035. & 1106. Sigebert. in chron. anni 1126. Melancht. in chron. carion. l 4.* Ex quo unum atque alterum teſtimonium à proximis ab Ottone Imperatoribus brevitatis cauſa petemus. Sic verò *d. l. 4. de Henrico ſancto & claudo in ejus vita.* Ottone

 III. vene-

III. veneno extincto, ordines Germaniæ de recenti illius conſtitutione (quâ Germanis ἀξίωμα Imperii attribuit atque addixit) deſignarunt Imperatorem Henricum Bavariæ Ducem &c. *De Conrado II.* Ad Conradum Imperium delatum ſcribunt, cum poſt interregnum biennii diſcordantium inter ſe Principum ſententiæ tandem in eum conſenſiſſent, rem promoventibus Epiſcopis Moguntino & Bambergenſe, refragantibus paucis. *De Henrico III.* Hunc Conradus pater procerum conſenſu deſignavit ſucceſſorem, cum eſſet Italiam petiturus. Hîc fit mentio Principum, ordinum & procerum Germaniæ, non Electorum. *De Friderico II. circa fin. l. 4.* ſic ſcribit: Præcipui & potentiſſimi Germaniæ Principes, Rex Boëmiæ, Bavarus, Saxoniæ Dux, & alii, ex Sicilia Fridericum II. evocarunt. Ubi hic nomē & vocatio Electoralis? veritati igitur Hiſtoricæ viciniorem eſſe putamus ſententiam illorum, qui Senatum Septemvirorū Friderici II. tempore conſtitutum divinant. A qua nō eſt alienus *Caſparus Peucerus lib. 5. chron. carion. à pr.* ſcribens: Senatus Septemvirûm in Imperio, quì quibus vel initiis, vel autoribus, & quando cœperit, etſi certò non conſtat, nomen tamen inclaruiſſe, & invaluiſſe auctoritatem atq; potentiam à Frid. II. ex Hiſtoriarum annotatis non eſt obſcurum, ut videatur hic ſenatus poſt longos inteſtinorum bellorum conflictus conſtitutus, & hac poteſtate armatus eſſe ac circumſeptus. *Idem eod. lib. ubi agit* de ſtatu Imperii poſt Frid. II. de interregno, & de Friderici poſteritate ità auſpicatur: obtinuerat Fridericus *à ſenatu Imperij in Germania*, ut primogenitus filius Henricus cunctis ſuffragiis decerneretur Rex Romanorum, quanquam per ætatem nōdum eſſet idoneus ad Imperium, quoniam vix annum exceſſerat decimum. Sed cum incitatione Pontificum & promiſſis Longobardorū in ſpem Imperii pellectus, paternos amicos & ſocios hoſtiliter oppugnare

gnare cœpiſſet, Pater eum ad ſe in Apuliam invitatum comprehendit, atque in carcerem condidit, in quo octavo ab electione anno mortuus eſt. Et paulo pòſt: Poſt mortem Henrici Friderico filioq; ſuo Conrado de Imperio deiectis, oppoſitus eſt Henricus Turingiæ Landgravius, Ludovici frater, cui S. Eliſabetha nupta fuit, anno Chriſti milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo quinto. qui & eodem anno, quo Imperium accepit, ad Ulmam ſagittà lethaliter ictus occubuit. Cum igitur & hic occubuiſſet, *Principes Electores* detulerunt ſummam rerũ ad Wilhelmum Hollandiæ comitem, anno Chriſti milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo ſeptimo. fol. (mihi) 38. Ac licet *Melanchthon. lib. 4. chron. in Hiſtor. Ott. III.* dicat, poſt Frid. II. & Conradum eius filium, nullam reperiri mentionem ſeptem Electorum, ſed ſcriptores pleroſque veteres uno conſenſu meminiſſe cunctorum ordinum Imperii: Mox tamen in hæc verba ſcribit: Poſt Fridericum II. & numerus ſeptenarius exprimitur crebroque repetitur, & familiæ indicantur ſuffragantiũ. *Hæc Melancht.*

Diſs. *Simon Schard. lib. ſingul. de Elect. orig. c. 1. Pet. Heig. quæſt. jur. lib. 1. quæſt. 3. & And. Knich. de Jure Saxonic. non provoc. verb. Electorum, c. 1.* Ottoni III. inſtitutionem ſenatus Electoralis aſſcribentes.

Ex hiſce etiam apparet, collegium hoc ad Rodolphum Habſpurgenſem nullo modo ſuam originẽ referre. Succeſſit enim is in Imperio Wilhelmo comiti Hollando ſeu Batavo, cui Electores imperium aſſignaſſe modò audivimus, anno milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo tertio, cùm per 17. vel ut aliis placet, 18. annos duraſſet anarhia. Et de hac quæſtione hactenus.

COROLLARIA.

1. *Quærunt Politici: An Princeps aciei aſtare debeat? Sunt qui ſimpliciter affirmant: ſunt qui negant. Nos una atq; altera diſtinctione rem expediemus.*

2. An

2. *An exteri ad conſilium dandum de Repub. ſint adhibendi? Negã* J. Lipſius in Polit. & Chriſtophorus Colerus, Politicæ quondam & Hiſtoriarum Profeſſor in Acad. Altdorffenſi in notis ad Epiſt. 1. C. Saluſtii ad C. Jul. Cæſ. *Et apud* Ant. Bonfin. decad. lib. 9. rerum Ungaricarum, *jubetur Vladiſlaus II. ut aulicorum duntaxat Vngarorum officÿs ſemper utatur: nec in regni adminiſtratione, aut curia, regiaq; muneribus ullum ex peregrinis conſiliarium, quæſtorem, prætorem ve, aut amanuenſem, cubicularium, miniſtrum, ſtructorem & architriclinum admittat. Nec de Vngaricis rebus acturus, Vllum præter Vngaros externum in Conſilium venire patiatur. Nos certis in caſibus affirmamus locum habere poſſe illud* XII. Tabb. Salus populi ſuprema lex eſto.

3. *De peregrinis quæritur: An Imperium eis ſit deferendum? Hic diverſarum nationum ſtatuta ſpectanda eſſe putamus. Ubi tamen non diffitemur, Imperium peregrinorum magnum ſæpe habere incommodum, ut Hiſtorici & ſcriptores Regnorum multis exemplis idipſum demonſtrant vid.* Polyd. Verg lib. 3. Hiſtoriæ Anglicæ. Ant. Bonfin. decad. 2. lib. 9 rerum Ung *Unde Ericus Regneri pugilis Sueciæ Regis filius, ad Gotherum Norwegiæ Regem, Daniæ Regnum affectantem. Patrium, inquit, quisq; ducem extero præfert. Provincia omnis Regum domeſticum, quam advenam impenſius colit, ut refert* Saxo Grammaticus lib. 5. Hiſtoriæ Danicæ.

4. *Lege ſalica apud Gallos mulieres à ſucceſſione Regni in totum excluduntur. vid.* Hotom. in Francogallia cap. 10. *Contra Hiſpania, Luſitania, Sicilia, Neapolis, Navarra, Anglia, Scotia, Dania & Suecia fœminas a principatu non excludunt. Quin & Hungaria anno Chriſti 1383. Mariam filiam Ludovici I. Regis Ungar. poſt obitum patris, non ſolum in Reginam, ſed & Regem Hungariæ coronavit.* Bonfin. decad. 2. l. 10. *Quod argumento eſt, mulieres non naturâ, ut vult Bod. ſed lege poſitivâ ſceptri eſſe incapaces.*

DOCTISS. ATQUE ORNATISS. Dno. RESPOND.

QUòd benè, JANE, ſtudes civilis dogmata vitæ
Te præbes hominem non nudo nomine, ſed re,
Si modò quæ diſcis ſtudeas oſtendere factis.
Namque homo dictus homo eſt ab ὁμῶς. Cur? Accipe, dicam!
Ut ſimul atque ſemel, fugiens deſerta locorum
Civibus interſit lætis in rebus & arctis.

Amoris & gratulationis ergò appoſuit
Daniel Stahl Hammelb.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE